~~Febr. 1603.~~

CENSURA CENSURÆ
Impostoriè conceptæ
A quodam Dissidentium
Contra plenum Gratiæ & Veritatis
JLLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI
D. ERNESTI
METTERNICH
Sacri Romani Imperii
COMITIS
SERENISSIMI Borussia REGIS
Plurimorum annorum
In Conventu Ratisbonensi
Pro Dissidentium Religione
ORATORIS
SOLILOQVIUM.
Ad Libram æquî & non passionatê judicii
PROVOCANS.
Anno Incarnatæ Veritatis
1728.

Opusculum Authoris posthumum, impressum
Posnaniæ 1729.

Imprimatur

FRANCISCUS KAZNOWSKI V. J. D. Archidiaconus Pscevensis Officialis Generalis Posnaniensis.



PRÆFATIO
Ad Lectorem.

INnotuit, (non dubito) Christiano orbi, quomodo Illustrissimus & Excellentissimus Dominus ERNESTUS METTERNICH S. R. J. Comes, Serenissimi in Prussia Regis, in Conventu Ratisbonensi, pro abolendis quasi quibusdam Protestantium gravaminibus, plurium annorum Orator, in ipso pro sua Religione zeli fervore, ut olim Saulus, Divinô cælitus perculsus lumine, quam supra modum persequebatur Ecclesiam DEI, Romano-Catholicam, Cor. 15. ejusdem se gremio circa mortis articulum generosè insinuaverit. Quæ insperata dexteræ Excelsi mutatio, tantô quorundum Protestantium oculos suffudit livore; ut eundem venditent, tam subitò Corvum, qui modò Cygnus erat, etiam ipsismet, non objecti, sed instrumenti lividè repræ-

sentantis vitiô; quô omni candore semper conspicuum denigrare conantur. Qui totô negotiationis suæ tempore deprædicabatur integer vitæ scelerisq; purus, *& fidelis Domini sui administer, quia* ductus à Spiritu Sancto *Catholicorum accessit castris; à quodam Dissidentium editô scommate, proclamatur ut Atheus; qui scilicet & à DEO & à suo Principe apostatqverit, eâ certè contumeliæ impudentiâ, quâ Judæi Paulum; Romani fidelissimum Trajani Ducem Eustachium; Maximianus invictissimam sibiq; juratissimam Thebæorum Legionem; Augustanæ Confessionis sectatores Prutheni Brandeburgici, Serenissimum Principem suum Fridericum Vilhelmum, quòd à Sacris suorum sive Principum, seu Prædecessorum recesserint, à Deo & Principibus, proclamarent Apostatas.*

Non arundinem vento agitatam *vidit Prussia, & Imperium: nec sine crimine læsæ Majestatis, quisquam Serenissimo in Prussia Regi, eam poterit impingere inscitiam, ut non noverit, cui tanti muneris spartham commiserit; aut in arundine longâ & instabili, contra potentissimos Adversariorum suorum cuneos equitaverit. Sed eum elegit suum Ministrum; cujus probitati, in agendo dexteritati, in obsequendo imperterritæ fidelitati, non tantùm eximia*

mia illius prudentia, sed etiam omnium subscripsêre suffragia. Quidquid in Conversione sua egit Illm̃us Comes, non egit terrenorum bonorum illiciô; quæ illi à nemine, in casum acceptandæ Religionis Catholicæ, promittebantur. Quin imo deterrebant ab eadem, seu fortunæ, seu Principis gratiæ amittendæ pericula. Deterrebat ille potentissimus ad impediênda etiam sanctissima intenta: ad comprimendos etiam inquietissimos conscientiæ remorsus: ille (inquam) potentissimus Achilles: Quid dicent? *præsertim post tot annorum comparatam magni nominis, prudentiæ, probitatis æstimationem, cum mutatione fidei, in momento extinguendam. Egit non præcipiti aliquo impulsus Enthusiasmô, sed cum magna plurium annorum deliberatione. Egit deniq; brevi moriturus (quod desciscentes à fide Catholica nunquam faciunt, nisi fortè rudes) quo tempore* corpus, quod corrumpitur, *jam desinit* aggravare animam, & terrena inhabitatio cessat deprimere sensum multa bona cogitantem. Sap: 9. v. 15. *adeoq; ab hoc onere libera recta ratio optimè judicat. Et tandem, quo tempore amans suæ salutis, arripit viam, quâ ad illam certissimè pervenire possit. Quàm bene & prudenter hanc viam in Ecclesia Romano-Catholica quæsierit piè defunctùs Illustrissimus*

 Comes,

Comes, *patet ex illius Soliloquio*; *quô convictus*, *illud inter alia ſua manuſcripta*, *ad aliorum quoq; informationem reliquit*. *fundamentaliſſimis innixum rationibûs*; *quas* nec Caro nec Sanguis revelavit, *ut bene*, *& ſine paſsione conſideranti patebit*. *Vocavit quidem Diſſidentium quidam Soliloquium hoc in cenſuram*; *pluribusq*; *tum Commentis*, *tum figmentis illud infuſcare voluit*, *ut alii* meliora chariſmata æmulaturi, videntes non videant, & audientes non intelligant, Luc: 8. v. 10. *Ut tamen ſatis clara veritas*, *ab his umbris ſoluta*, *luculentiùs pateat*, *Diſsidentis cenſuram*. *in cenſuram vocandam*, *cenſui*.

DIS-

DISCURSUS PRÆLIMINARIS.

Ut enucleatiùs rem proponam, & ne multoties crambem repetam, aliqua pro faciliori difficultatum resolutione, præmittenda censui.

I. PRæmitto *1mo.* Etsi scriptura Sacra sit materia credendorum, tum à Prophetis, tum ab Apostolis relicta; ad informationem fidelium, quid credere debeant, & cum recta fide possint placere Deo; tamen hæc non est ubiq; ita clara, ut interpretatione non indigeat. Nam *declaratio sermonum tuorum illuminat Psal. 118. v. 30.* Et, *aliis data est interpretatio sermonum* (Divinorum) *1. Cor v. 10.* Et præter Scripturam Sacram missus est Spiritus S. in Apostolos; qui *doceret eos omnem veritatem. Joan. 16. v. 14. NB. omnem veritatem.* Ergo tam in referendis scripturis, quam explicandis. Eunuchus quoq; Candacis Reginæ *non potuit intelligere* Isaiam, sine interpretatione Philippi *Act: 8. v. 31.* Nec omnibus *datum est nosse mysteria Regni Dei. Marci 4. v. 11.* Et, *euntibus in Emmaus Discipulis interpretabatur* Christus *scripturas, Luc: 24. v. 27.* & quidem scripturas necessarias ad salutem, quia de incarnatione & passione

sua; quæ quilibet credere tenetur, qui vult salvus fieri. *Symbolum Athanasii.* Ipsi quoq; Dissidentes tot interpretationum scripserunt libros.

Præmitto 2do. Interpretes Sacræ Scripturæ quibus indubitata fides tribuatur; debent esse omnino infallibiles. Nam si essent fallibiles; non possemus illis tutò credere. Si enim *cæcus cæco ducatum præbeat, ambo incidunt in foveam. Matth: 15. v. 14.*

Præmitto 3tio. Talem interpretem, non posse esse ipsam Scripturam, saltem adæquatum, seu in omnibus dubiis & quæsitis fidelium. Tum quia, si scriptura posset seipsam adæquatè interpretari, non fuisset necessaria, tanquam singulare donum Spiritûs S. gratia *interpretationis Scripturarum;* cùm hæc sufficienter haberi potuisset ex ipsa Scriptura. Tum quia eadem est scriptura omnibus, sive in Hebraico sive in Græco relicta, ab Apostolis; & tamen non in eodem sensu ab omnibus intelligitur, etiamsi, quoad literam & terminos eosdem ab omnibus acceptetur: Qualis Scriptura hæc est, *v. g. Hoc est Corpus meum;* quæ aliter intelligitur à Catholicis, aliter à Lutheranis, aliter à Calvinianis. Catholici enim intelligunt, quòd post Consecrationem panis, sit verum Corpus Christi sub accidentibus panis, absq; substantia panis. Lutherani verò, quòd sit Corpus Christi cum substantia panis. Jam autem Calviniani, quòd tantùm Corpus Christi sit figuratè & symbolicè. Quomodo ergo eadem, sub iisdem terminis posita scriptura se inter-

interpretatur, si eadem est omnino in terminis, & diversimodè intelligitur? Nec valet recursus ad aliam scripturam, priorem interpretantem quia iterum redibit eadem quæstio, & sic ulterius; siquidem & aliam scripturam omnes hi acceptant. Quodsi recurretur ad interpretationem ex Hebraico vel Græco quoad terminos diversos, item erit quæstio: quisnam interpres genuinè illam interpretatus sit, cùm omnes recurrant ad fontes idiomatis sive Græci sive Hebraici; & quisq; se dicit bene hæc idiomata intelligere. Pro quo illorum stabit major ratio? Ergo interpres Scripturæ est aliquid distinctum à scriptura.

Præmitto 4to. Non omnes habere hanc gratiam interpretationis Scripturæ, cùm expresse dicat Paulus 1. Cor: v. 10.. quod *aliis data est interpretatio sermonum*. Ergo non omnibus.

Præmitto 5. Debere certò constare, quinam interpretes sint omnino infallibiles: nec credendum esse cuilibet dicenti: Hæc dicit Dominus. *Prophetæ enim liniebant eos absq; temperamento, videntes vana, & divinantes eis mendacium, dicentes: Hæc dicit Dominus Deus, cùm Dominus non sit locutus. Ezech. 22. v. 28.* Debet autem ideo constare, ut homines sciant, ad quos pro infallibili interpretatione debeant recurrere; ne incidant in falsos Prophetas. Quare etiam Christus manifestè misit Spiritum Sanctum in linguis igneis in Apostolos, futuros sermonum Dei Prædicatores & Interpretes, ut hæc infallibilitas visibiliter

innôtesceret hominibus. Licet aliàs *Spiritus* S. tanquam aliquid invisibile in se, potuerit in eosdem descendere invisibiliter.

Præmitto 6to. Infallibilitatem Interpretum S. Scripturæ non posse certò deduci ex sapientia vel probitate eorum; imò nec ex utroq;. Tum quia, multi sunt Hypocritæ: multi transfigurant se in Angelos lucis. Tum quia *nemo scit, an sit odiô, an amore dignus. Eccle. 9. v. 1.* si nescit de se, multò minùs de alio. Tum quia *Diabolus* fuit sapientissimus; & tamen malè interpretabatur Christo illam scripturam: *Angelis suis Deus mandavit de te &c.* cùm illi suaderet, ut se mitteret ex pinnaculo Templi deorsum. *Mat. 4. v. 5.* Tum quia Deus sæpe, quæ *abscondit à Sapientibus & prudentibus, revelat ea parvulis. Matth 11.* Tum quia Tertullianus & Origenes erant Doctores, & sapientissimi, & (ut videbatur) vitæ pientissimæ; & tamen graviter errarunt in fide.

Præmitto 7mo. Sed neq; rectè deducitur defectus infallibilitatis in Interprete, ex vitæ illius improbitate. Nam Christus monuit fideles, ut doctrinis improborum Pharisæorum securè obediissent, non tamen secundùm opera eorum fecissent. *Matth: 23. v. 2.* Caiphas erat homo nequissimus, & tamen prophetavit infallibiliter dicens: *Expedit, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Joan. 11. v. 50* Balaamo Pseudo-Prophetæ astitit *Spiritus* S. cùm benedixisset castris Isràël, & multa futura infallibiliter prædixisset. *Num: 24.* Ratio etiam est. Quia Deus

tis hoc donum infallibilitatis solet conferre non propter ipsos interpretes; sed propter alios fideles, quos vult in recta fide instrui, adeoq; illorū peccata, non punit damnô fidelium. *Sicut*, quia Deus contulit potestatem hominibus emundandi alios homines per administrationem Sacramentorum à peccatis; non eo ipso tollitur illis hæc potestas, quòd fiant, vel sint homines nequam, adeoq; in quocunq; statu peccati validè baptizant, absolvunt, consecrant. Quidquid sit, quòd dona Spiritûs *S.* aliqua (nam fides non tollitur nisi per infidelitatem) in bonum illorum concessa, per peccatum mortale amittuntur.

Præmitto 8vo. Hanc infallibilitatem non posse acquiri ullis viribus naturalibus, cùm omnes vires naturales excedat; sed eam procedere ex speciali assistentiâ Spiritûs *S. Omnis enim homo mendax. Psalm: 115. v. 1.* adeoq; & falli, & fallere potest. Quod optimè intelligens Christus, munivit Apostolos Spiritu Sancto.

Præmitto 9no. Hanc assistentiam Spiritûs S. datam esse Ecclesiæ in perpetuum. *Tum* quia Christus, etiam secundùm *Dissidentes*, est Caput Ecclesiæ invisibile. Ergo illam semper & pro semper regit, & instruit. *Non* per se immediatè; Quia nemini modò, saltem ordinariè, os ad os loquitur. Non per Scripturam, saltem solam; quia hæc est variè intelligibilis, & defacto variè intelligitur, ut ostendi Præmisso 3tio. Ergo illam regit per Spiritum Sanctum, & ejus

 inspi-

inſpirationem, Non omnibus factam; quia aliquibus tantùm data eſt *intelligentia ſcripturarum*, & Chriſtus ipſe, non in omnes miſit Spiritum Sanctū. Ergo tantùm per certum hominum genus, nimirum per viſibiles Eccleſiæ Rectores, eoſq́, primarios. *Sicut* etiam in *Politicis*, informationes à *Principibus* diriguntur ad ſuos *Supremos* Vicarios; & hi eas promovent ad ſuos ſubordinatos. Unde falſum eſt; quòd poſt Apoſtolos nulli hominum data ſit aſſiſtentia *Spiritûs S.* quod in ſua criſi Germanica evincere conatur Cenſor § XV. & XVI. Quia Lucas & Marcus Evangeliſtæ, non erant è numero Apoſtolorum, ſuper quos viſibiliter deſcendit Spiritus S. utpote quorum primus didicit primùm Antiochiæ Evangelium à S. *Paulo*, ſecundus à S. *Petro*; & tamen credunt eorum *Evangelio* etiam ipſimet Proteſtantes, ſicut & actis Apoſtolorum à S. Luca conſcriptis, tanquam Verbo *DEI* infallibili. Credunt inſuper 4. Conciliis primis generalibus tanquam infallibilibus, quæ aliquot ſæculis poſt Apoſtolos ſunt celebrata.

10. Tum quia Chriſtus fundavit Eccleſiam ſuam ita firmiter, ut portæ inferi adversùs eam nunquam eſſent prævalituræ. *Ergo* debuit illi dare contra iſtam vim robur invincibile pro omni tempore; cùm omni tempore à portis inferi fuerit oppugnanda, & defacto oppugnetur per tot Hæreſes. Quod robur, non eſt aliud, quàm à *Spiritu* S. Certè ſecundùm univerſale axioma: *Qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe.*

11. Tum quia veteris testamenti Ecclesia habuit *Scripturas* sacras, per quas loquebatur Spiritus S. & tamen nunquam fuit, sine ejusdem *Spiritûs* S. assistentia, concessa certis hominibus, nimirum *Prophetis*, per quorum ora loquebatur.

12. Tum quia *Spiritus* S. datus est propter docendam omnem veritatem. Ergo & propter illas veritates, quæ successu omnium sæculorum enucleandæ erant per veram & infallibilem interpretationem scripturarum, à variis Hæresiarchis falso interpretandarum.

13. Tum quia si *Deus* dedit primitivæ Ecclesiæ fortem Tutorem, contra paucos hostes, multò magis illum providere debuit Ecclesiæ provectiori, contra innumerabiles hostes, ipsâ sacrâ *Scripturâ* eandem oppugnaturos.

14. Tum quia ipsimet Protestantes asserunt, suos Reformatores fuisse, extremis etiam hîs temporibûs, illuminatos à Spiritu Sancto. Ergo etiam ipsimet docent, Ecclesiæ etiam longè post *Apostolos*, assistere Spiritum *Sanctum*; licet id probare nón possint.

15. Tum quia Ecclesia nunquam errare potuit, nec potest; aliàs non esset *Columna & firmamentum veritatis, & portæ inferi prævalerent adversùs eam.* Ergo hæc immunitas ab errore, aliunde haberi non potest, præterquam ab assistentia *Spiritûs Sancti*.

16. *Sed* restat quæstio, in quo se teneat ista infallibilitas est assistentia Spiritûs S.?

Non

Non in Scriptura Sacra, saltem Sola; ut dixi superiùs. *Tum* quia hæc diversimodê accipitur à diversis. *Tum* quia quòd hæc, & non alia scriptura, sit verum DEI Verbum; debet constare aliunde, & quidem infallibiliter. Nec testimonium *Sacræ Scripturæ* de se quidquam pro se evincere potest; cùm Christus ipsa veritas etiam de se dicat. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso; testimonium meum non est verum. Alius est, qui testimonium perhibet de me. Joan: 5. v. 31.* Etsi enim evidens sit; quòd Verbum DEI sit infallibile: sed nisi mihi constet infallibiliter, hanc & non aliam scripturam, esse Verbum DEI, non possum illam credere esse talem, adeoq; nec esse infallibilem. Certè prodierunt in lucem multæ scripturæ historiam Christi referentes, ut Evangelium Mathiæ, Jacobi minoris, Petri, Andreæ, Thomæ, *Periodi* Pauli & Theclæ &c. Quæ tamen omnia non sunt acceptata pro vero Verbo DEI, sed rejecta & damnata ab Innocentio I. *Papa*, circa annum Dñi 400. sub Stilicone 2do & Antemio Consulibus Romanis. Primus *Scripturæ Sacræ* Canon, (quantum ex informatione scripta habemus) constitutus fuit à Damato I. Papa in Concilio Laodicensi Anno 364. Quod quidem fuit Provinciale; sed est confirmatum à 6tâ *Synodo* generali; quæ in Trullo Cæsaris Constantini Palatio celebrata est, in ejusdem Cæsaris præsentia. Item in Concilio Carthaginensi 3tiò. Imò etiam ipsi Dissidentes ex his libris, quos habent in Codice Bibliorum, aliquos

liquos

liquos censent Apocryphos, ut libros Macchabæorum, librum Job, Apocalypsim &c.

17. Non in *Spiritu* privato. *Væ enim Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum & nihil vident.* *Ezech* 13. v. 3 & *S.* Joan. *ep:* 1. *c.* 4. v. 1. monet omnes: *Nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sint; quoniam multi Pseudo Prophetæ exierunt in mundum.* Et iste privatus spiritus est causa omnium dissensionum in Ecclesia; ut evidenter agnoscere debent in sua Ecclesia, Dissidentes. Quot enim apud illos sunt capita, tot sensus. Quæ res multâ probatione non indiget; *Sed* clarè patet ex tot dissensionibus inter Lutherum, Calvinum, *Bucerum*, Oecolampadium; ex actis Osiandri in Prussia; ex tot Sectis Calvinianis in Anglia; ex dissonantia credendorum, fere in omnibus Acatholicis Regnis; cùm tamen *Spiritus S.* non sit Author discordiarum, sed unionis. Ergo recurrendum est ad determinationem Doctoris gentium Divi Pauli; qui 1. *Timoth:* 3. *v.* 15. eidem hæc præscribit: *Ut scias, quomodo oporteat te in Domo Dei, conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Porro.

18. *Præmitto 1omo.* Nomine Ecclesiæ, aliquando venire domum materialem Deo consecratam, seu Templum; aliquando omnes fideles; aliquando tantum Primores Ecclesiæ, & potissimùm summum Ecclesiæ Pastorem. Et sic nomine Ecclesiæ, veniunt omnes fideles, cùm vg dicuntur membra Christi, participantia merita

ejus.

ejusdem, & gratias supernaturales, à Christo tanquam à Capite in se defluentes &c. Dum autem agitur de Jurisdictione vg Ecclesiæ, nomine illius, veniunt soli *Primores*, vel supremus Rector: ut vg cùm dicitur: *Quodsi* (correptus frater) *eos* (correptores) *non audierit, dic Ecclesiæ. Matth: 18. v. 17.* Certè enim ad omnes fideles non potest deferri incorrigibilis frater. Ita planè, sicut fit in *Politicis*: Nomine v.g. Imperii, veniunt aliquando omnes Imperatoris subditi, ut cùm Imperio confertur aliqua gratia, vel obligatio onerosa imponitur. Cùm autem dicitur Imperium aliquid concludere, nomine Imperii, veniunt soli *Primores*, vel ipsemet Imperator, cùm est absolutus.

19. Certum est inter Christianos, primam Ecclesiam Christi fuisse Apostolos, & tum Christi, tum eorum discipulos; cujus Caput visibile fuit ipsemet Christus, dum in vivis esset; cùm autem in proximo morte decessurus esset, constituit in locum suum, Petrum; cui *tradidit & claves Regni cælorum, Matt: 16. v. 19. & commisit oves suas. Ioan. 21. v. 17.* & dedit illi potestatem confirmandi Fratres suos *Luc. 22. v. 32.* utpote, si fortè in quo vacillarent Quas singulares prærogativas, nulli alii Apostolorum concessit, & quæ sunt indicium Supremæ potestatis. Sicut traditio clavium à Civitate, non fit nisi Principi, vel ejus locum tenenti. Nec omnes subditi commendantur quibusq; particularibus, sed Supremam potestatem habenti, vel ejus delegato,

gato; licèt minoribus Officialibus aliqua commendentur etiam cum supremo communia v. g. legum observatio, subditorum protectio &c. Uti etiam Apostolis aliis, data est communis cum Petro potestas ligandi & solvendi, prædicandi, baptizandi &c. Post decessum Apostolorum certè non desiit Ecclesia Christi; cui nunquam prævalituræ erant portæ inferi *Matth. 16. v. 18.* Ergo debuerunt iisdem succedere, tam supremus, quam subordinati Ecclesiæ Rectores; sicut Christo successit Petrus; Judæ Mathias. Petrus quidem à Christo constitutus, Mathias vero per electionem *Act. 1. v. 31.* Qualis modus substituendi per electionem, etiam supremum Ecclesiæ Rectorem (ne relinqueretur constitutio carni & sanguini) postea inolevit in Ecclesia, & hucusq; perseverat, nunquam interrupta serie; cùm post mortem suam, nunquam id muneris contulerit Christus visibiliter ulli hominum. Noluit autem unquam Ecclesiam suam esse sine Rectore visibili; non obstante, quod etiam ipse nunc regat Ecclesiam, tanquam Caput illius invisibile. Ita planè, sicut DEUS regit mundum tanquam Caput invisibile: & tamen præterea providet ipsi Rectores visibiles, per quos eundem mundum regit. Majores autem Rectores possunt constituere minores & subordinatos, sicut Paulus constituit Timotheum &c. Sicut autem ad regendum pusillum gregem, necesse habuit Christus mittere his Rectoribus, saltem primariis, Spiritum Sanctum,

non

non obstante, quòd ipse futurus esset pro semper Caput Ecclesiæ invisibile; ita non minor, sed major erat necessitas ejusdem Spiritus Sancti concedendi, eidem, longè magis propagatæ & ulterius propagandæ, & pluribus lupis obnoxiæ, ut dixi, Præmissô immediatô. Nunc ergo, qui vult demonstrare, in quibusnam hominibus sit ista specialis assistentia Spiritûs Sancti, debet probare, quòd hi vel illi Ecclesiarum Rectores, sint vel ab ipso Christo, & quidem visibiliter constituti (alias etiam lupus diceret, se à Christo constitutum invisibiliter, Pastorem ovium) vel per electionem legitimam in successores demortuorum, electi. Quod nullibi probabitur, quàm in Ecclesia Catholica. Unde enim & ubi hoc probabitur? Porro, qui non est legitimus Successor in aliquo munere, neq; est Successor, ad prærogativas muneris. Adeoq; Ecclesiæ Acatholicæ, non possunt probare, datam sibi esse assistentiam Spiritûs Sancti specialem ad docendum infallibiliter.

20. *Præmitto 11mo.* Non posse damnari rectè Ecclesiam erroris vel fallibilitatis, etsi aliqua docere videretur etiam contra Sacram Scripturam, cùm id bene & sine errore possit facere ex justis rationibus. Sic malè damnarunt primæ Ecclesiæ Caput Christum, Pharisæi, quòd Sabbatho curaverit infirmos, & jussit tollere grabbata sua *Joan. 5. v. 8.* Licet *venerit non solvere legem, sed adimplere. Matth. 5. v. 17.* & permiserit bovem salvari in puteum delapsum. Et licèt Moyses opti-

optimus interpres legis Divinæ, utpote quam ipse immediatè à Deo acceperat in monte Sinai, severissimè transgressionis Sabbathi inculpaverit & puniverit, idq; ex mandato ipsius Dei, *cum invenissent hominem colligentem ligna in die Sabbathi, obtulerunt eum Moysi. Dixitq; Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste. Num. 15. v. 33. 35.* Sic nobiscum non erroneè sanctificant Dissidentes, Diem Dominicum, & non Sabbathum cum Judæis, licèt Scriptura expresse doceat; Sabbathum sanctificandum. Sic nobiscum non erroneè baptizant infantes, licèt Scriptura expressè doceat baptizandos, qui priùs possint doceri fidem. *Qui crediderit & baptizatus fuerit; salvus erit. Marc. 16. v. 16. Euntes in mundum universum, docete omnes gentes baptizantes eos &c Matt. 28. v. 19.* Cui Scripturæ innituntur Menonistæ, & quidem ex satis ponderosa ratione; quòd *sine fide impossibile sit placere DEO. Hebr. 11. v. 6* Quales placentes efficimur per baptismum. Sic non erroneè vocant nobiscum Doctores suos, Magistros; & Parentes; suos, Patres, licèt expresse doceat Christus: *Nolite vocari Magistri; unus est enim Magister vester Christus. Et, Nolite vobis vocare Patrem super terram; unus est enim Pater vester in cœlis. Matt. 23. v. 8 9.* Unde Menonistæ vocant suos Doctores, Admonitores. Sic non erroneè jurant nobiscum in re vera, licèt Christus expressè prohibuerit absolutè; sed tantùm permiserit dicere ad probandam veritatem: *Est, est; Non, non. Matth. 5.* Cui Scripturæ pariter innituntur Menonistæ, nun-

quam juraturi, etiam cum dispendio fortunæ suæ. Sic non erroneè omittunt nobiscum post Cænam Domini, lotionem pedum; licèt eandem tunc Christus instituerit, cùm dixit: *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita est vos faciatis. Joan. 13. v. 15.* Libenter hîc vellem disparitatem: Cur Dissidentes, nos non damnent hujus omissionis, consequenter nec se; & Cur nos damnent omissionis calicis; cùm utrumq; eodem tempore æquè Christus instituerit?

21. Circa hoc præmissum notandum est bene, quòd in Scriptura Sacra, aliqua contineantur, quæ sunt Veritates, seu propositiones veræ: aliqua, quæ sunt leges & mandata. Sic propositiones veræ sunt vg: *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium. Isa. 7. v. 14. Ego & Pater unum sumus. Joan. 10. v. 30. Filius hominis tradetur. Matt: 20. v. 18 &c.* Leges verò & mandata: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices. Exod. 20 Nolite vocari Magistri. Matt. 23. Nolite jurare. Matt 5. &c* Hoc Ecclesia facere non potest, imò nec Deus, ut veritas non sit veritas; nec declarare, quòd propositio vera, non sit vera; sed hoc facere potest ex justis rationibus; ut, quod semel est præceptum, desinat esse præceptum successu temporis, licèt sit præceptum etiam à Deo. Ut patet in sanctificatione diei Sabbathi, in lege veteri ceremoniali, quam sustulit Christus. Quia universaliter in legibus, præsertim positivis, ex justis rationibus, & variis circumstantiis, potest fieri mutatio; ut patet ex sanctificatione Sabbathi, & lege ceremoniali.

His

His præmiſſis, deſcendo ad Cenſuram Cenſuræ. Antequam autem ego ipſe, telîs tela Cenſoris retundam; præmittam interdum velitem Menoniſtam; qui illum ſuîs retorſionibûs exagitet, ille verò ut ſemetipſum defendere cogatur.

SOLILOQUIUM
Illmi Comitis Metternich.

§ I.

RElígio Chriſtiana, eſt Religio divinitùs revelata.

§ II.

Revelatio eſt facti, & cõtinet revelatam hiſtoriam & ſeriem factorum.

§ III.

Factorum veritas mihi non poteſt conſtare per rationem. *

Cenſura Diſſidentis.

* Cur mihi non ſatisfecerit ipſa Divina revelatio prima de factis? Luc. 16. v. 29.

22. *Reſpondeo.* Cenſura hæc penitùs non eſt ad rem. Quia propoſitio § 3. eſt veriſſima. Quæ enim purè ſunt revelata, illa non conſtant ex ratione naturali, ſed ex teſtimonio & authoritate dicentis; perq; hoc differt Fides ab Opinione & Scientia. Nec Illmus Comes negat veritatem factorum poſſe conſtare etiam per primam revelationem; imò hoc aſſerit § 10. & 11.

 § IV

Soliloquium Illmi Comitis Metternich. | *Censura Dissidentis.*

§ IV.

Ergo per aliam revelationem mihi innotescere debet, aut per testes *

* Vel utroq; modo.

Nec hic § meretur censuram. Affirmatio enim unius non est negatio alterius. Adeoq; quòd affirmet factorum veritatem debere innotescere, vel per aliam revelationem vel per testes; eo ipso non negat posse fieri id etiam utroque modô.

§ V.

Non priori modo. *

* Factorum veteris testamenti veritas constat omnino etiam per aliam revelationem, scilicet novi testamenti,& immediatam & mediatam. In novo testamento hæc illam obsignat credentibus.

23 ℞. Aliud est, quòd una revelatio possit constare per aliam revelationem, ut facta est v. g. revelatio Incarnationis Christi, *Isaiæ 7. Ecce Virgo concipiet & pariet Filium ;* & postea eadem fuit confirmata, in novo testamento, per Archangelum Gabrielem, dicentem ad MARIAM: *Ecce concipies & paries Filium. Luc.* 1. & aliud, quòd debeat fieri omnino per aliam revelationem; quo terminô *Debet* utitur Jllmus Comes. Quia *Sancti* Patres veteris testamenti sufficienter crediderunt eandem Incarnationem; nec tamen habuerunt secundam revelationem per

novum

novum teftamentum, ante quod funt mortui. Et una revelatio fufficit ad credendum infallibiliter: aliàs, fi una revelatio non mereretur fidem indubitatam, deberet dari proceffus in infinitum. Qui enim dubitaret de prima revelatione, dubitaret, & de 2da, 3tia, 4ta, & ulterius. Unde meritò reprehenfi funt à Chrifto illi duo Difcipuli euntes in Emmaus. *Luc.* 24. Quòd non crediderint revelationi habitæ ex veteri teftamento. Deinde afferit Illmus Comes; quòd ad eandem veritatem *ordinariè* non fiant revelationes plures: cùm fufficienter hæc veritas poffit conftare per teftes; modò fint infallibiles.

§ VI.

Ergo per teftes.

§ VII.

Neceffe eft, ut *omnes* teftes ifti fint omni exceptione majores, nec fallere poffint, nec falli.

§ VIII.

Tales teftes non funt, qui poft multa fæcula in remotiffimis mundi angulis fingulatim extiterunt.

§ IX.

Sed tales, qui præfentes fuerunt juftô numerô.

§ X.

Qui ea, quæ manibus contrectarunt: quæ oculis

Soliloquium Illmi Comitis.

usurpârunt: quæ auribus hauserunt; aliis retulerunt.

§ XI.

Nempe Apostoli.

§ XII.

Isti, visa & audita tradiderunt *Alijs* * stupendô successu.

Censura Dissidentis

* *Alijs* sed non omni exceptione majoribus.

24. ℞. Verum est, quòd Apostoli tradiderint facta Christi aliis testibus *non omnibus* omni exceptione majoribus; quia illa tradiderunt omni populo & nationi; inter quos, non omnes erant testes omni exceptione majores. *Sicut*, & ipsemet CHRISTUS tradidit doctrinam suam pluribus hominibus, ut testarentur eandem suis successoribus; non tamen omnes erant infallibiles; imò aliqui facti sunt Hæresiarchæ, & deceptores: ut fuerant & ipsi Judæi. Cæterùm tamen selegit sibi aliquos in testes. *Luc: 6. v. 16.* quos constituit Rectores Ecclesiæ, & *Prædicatores* Evangelii, quibus simul tradidit assistentiam Spiritûs S. ut errare in proponendis ad credendum non potuissent. Quam assistentiam & infallibilitatem potissimùm contulit *Petro*, suo in terris Vicario, utpote cui commisit oves suas. *Joan. 21. v. 17. Vide Præmissum* 10. *n.* 19. Cui dixit *Oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua. Luc. 22. v. 32.* Hi verò elegerunt alios, verè stupendo successu. Quibus ex eadem ratione regendæ saluta-

litariter Ecclesiæ, necessaria erat pariter assistentia Spiritûs S. adeoq; semper, successivè facta est traditio aliis testibus omni exceptione majoribus seu infallibilibus; aliàs posteris ipsamet Scriptura sacra esset in laqueum, eosq; conjiceret in inextricabiles scrupulos, dubitantes, quænam Scriptura sit, Verbum DEI, & quomodo inter tot diversos intetpretes intelligibilis? *Vide Præmissum 3tium & 9.* Certè adhuc temporibus Apostolorum, orta erat inter Petrum & Paulum contentio de Circumcisione; qui diversa sentiebant; licèt uterq; eandem Scripturam habuerit.

§ XIII.

Alii, quæ à primis scilicet Apostolis acceperũt; tradiderunt porro *aliis.*

§ XIV.

Hi deinceps, *aliis.* En successionem testium. *

* Sed qualium? destitutorum Characteribus Apostolicis.

Hîc prosilit Menonista cum sua retorsione argumenti. Qui testes destituuntur characteribûs Apostolicîs, illi non sunt idonei. Sed Protestantium testes destituuntur Characteribûs Apostolicîs. Ergo non sunt testes idonei.

25. ℟. Quæro: quales characteres Apostolicos pro testibus veritatis requirit Censor? Si visibilem missionem Spiritûs S.; talis non contingit post tempora Apostolorum, nisi fortè rarissimè, ut S. Gregorio Magno, ad cujus aures visus est Spiritus S. in specie columbæ. Sed cui non

credent Dñi Dissidentes; & volunt credi, quòd illorum Doctores fuerint pleni Spiritu Sancto. *Sed* neq; talis visibilis Missio *Spiritûs* Sancti, in Ecclesia horum temporum est necessaria: *Quia Spiritus, ubi vult, spirat. & vocem ejus audis; sed nescis, unde veniat, aut quò vadat. Joan. 3. v. 8.* Et aliunde constat, assistentiam *Spiritûs* Sancti datam Ecclesiæ pro semper, ut probatum *Præmisso 9. n 9.* Certè D. Dissidentes credunt nobiscum, primum Concilium Generale Nicenum congregatum esse in Spiritu *Sancto*; ejusq; decisiones esse infallibiles; licèt nemo in illo viderit *Spiritum S.* visibiliter descendentem. Si conformitatem cum *Scriptura*. Opponet statim Menonista: Sed hanc non habent Protestantium testes Ergo.

Deinde sequeretur etiam ipsos Apostolos destitutos fuisse tali charactere; qui constituerunt Sanctificationem diei Dominicæ pro Sabbatho, difformiter ad *Scripturam*: Et Paulus, contra decreta Concilii 1mi Hierosolymitani circumcidit Timotheum *Act. 15. & 16. Vide Præmissum 11.* Præterea, secundùm D. Paulum, non veritas (*Scripturæ*) est columna Ecclesiæ: sed *Ecclesia est columna veritatis*; quæ est distincta à Scriptura; & constat ex hominibus. Unde non sic deberent argumentari Dñi Dissidentes: Hæc Ecclesia est vera Christi Ecclesia, continetq; testes omni exceptione majores, quæ est conformis Scripturæ. Sed potiùs: Hæc scriptura est verum Verbum DEI; quam Ecclesia docet esse talem, &

hunc

hunc illius esse verum sensum. Quare optimè dixit *S. Augustinus: Ego verò Evangelio non crederem; nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret Authoritas. Vide Præmissum 4.* Si miracula? Hæc plurima, & quidem evidenter, etiam hucusq; contingunt in Ecclesia Catholica. Sed iis Dñi Dissidentes tantùm tribuunt fidei; quantum miraculis Christi Pharisæi. Demum libenter viderem Characteres Apostolicos in Ecclesia Protestantium.

§ XV.

Hi omnes habuerunt, vel habent eandem scientiæ suæ causam. *

* Non habuerunt *Theopnestian* im̃ediatam inspirationem Divinam.

Retorquet Menonista: Qui testes non habent immediatam inspirationem divinam, non sunt testes omni exceptione majores. Sed testes Protestantium non habent inspirationem talem. Ergo.

℞. Deductum est superiùs præsertim *Præmisso 9.* quòd habuerint & habeant. Quia nimirum habent assistentiam Spiritus S. quoad decernendos articulos fidei; licèt illam non habeant, quoad decernendas sententias in rebus ad fidem non pertinentibus, & ad credendum infallibiliter non propositis; adeoq; ut privati Doctores sunt fallibiles.

Soliloquium Illmi Comit:	*Censura Diffidentis*
§ XVI. Ergo omnes sunt idonei testes. *	* Ob defectum jam indicatum non sunt adæquatè idonei. Confirm: Supra § VII. Nec supplementum è Scriptura canonica admittitur in *Soliloquio*; quia hoc, eam unà cum mediata revelatione, indigne subjicit testibus suis: (§ 22. 25.) sine *Spiritûs* S. revelantis lumine, Authoritatem Hierarchicam (§ 5. 6. 21. & seq) exercentibus.

℞. Contrarium jam probatum est *in Præmisso* 9.

§ XVII. Gliscente mox Christianorum numerô, orti sunt Cœtus, utiq; visibiles; quia ex hominibus componebantur.	
§ XVIII. Cœtus hi omnes unum cōmunemq; finem habuerunt.	
§ XIX. Ergo unam Societatem constituerunt.	* Vocatur quidem; at vera vocatur ex indole, non civilìs & naturalìs, sed Supernaturalìs & Spiritualìs communionis, quæ per fidem & charitatē se exserit.
§ XX. Talis Societas vocatur Ecclesia. *	

℞. Cum indoles sit fallibilis; ex quo *se Angelus sathanæ frequenter transfigurat in Angelum lu-*

cis

cis 2. Cor. 11. v. 14. nihil certi ex illa inferri potest. Ecclesiam Catholicam nunquam dicimus esse purè civilem & naturalem, sed etiam Spiritualem & Supernaturalem; cùm illi tribuamus specialem assistentiam Spiritûs S. *ut probatum Præmisso 9.* quæ certè est Supernaturalis; à qua procedit recta fides & charitas. Et hæc Societas, seu Ecclesia, debet esse omnino etiam externa & visibilis; si enim esset purè interna, nec possemus illi deferre delinquentes fratres; nec infallibilem controversiam, in Scripturæ textibus explicandis, Judicem invenire.

§ XXI.

Ista Societas, quæ Ecclesia vocatur, eò, quòd est Societas, non potest, ne fingi quidem, absq; ordine imperantium & parentium; aut si mavis, sine subordinatione. En Hierarchiam!

Talem subordinationem requirit quælibet bene ordinata Respublica, non tamen inverso ordine, ut Pastores subsint ovibus; equi dirigant aurigas; discipuli informent *Magistros*; ut fit in Ecclesia Protestantium, ubi Pastores subsunt Principibus sæcularibus & Præsidibus Civitatum; Rectores Ecclesiarum reguntur ab iisdem; nihilq; docere possunt, nisi id approbent sæculares Præsides.

XXII.

Soliloquium Illmi Comitis.

§ XXII.

* Talis Ecclesia est maximæ authoritatis, seu infallibilis, id est, nulli Christianorum licet dictô vel factô testari, sibi displicere, quæ Ecclesia statuit.

Censura Dissidentis.

* Tali Ecclesiæ, qualis in antecesentibus, secundum Societatem externâ modô est descripta; absolutum Hierarchicũ regimen haud tribui potest. Nam hôc pactô, nec Apostoli, nec ipse Christus, Judaicæ Ecclesiæ, cujus Doctores in Cathedra Moysis sedebant; & quia à Deo ipso per successionem & manus majorum certa dogmata, præcepta, & ritus se accepisse jactabant; obloqui potuissent.

℟. Hoc argumentum solvit ipsemet Christus, qui fidelibus præcepit: *Super Cathedram Moysis sederunt scribæ & Pharisæi. Omnia ergo, quæcunq; dixerint vobis, servate, & facite; secundum verbò opera illorum nolite facere. Matth. 23. v. 2.* Quæ suos docuit; certè & ipsemet Christus fecit. Dogmatibus ipsorum quomodo est oblocutus, si servanda præcepit? Oblocutus est cum Apostolis, moribus & operibus Pharisæorum. Ita pariter in Ecclesia Catholica fit; ut aliquando obloquantur, etiam pii aliàs homines, Capiti Ecclesiæ, & quidem justè; quoad opera illius, si hæc mala sint; sed non quoad dogmata fidei. In illis errare possunt; at non in his. Deinde Ecclesia Catholica, ut purè civilis & externa, posset errare: at non

at non, ut habens semper assistentiam Spiritûs S. interiorem & supernaturalem: adeoq; Regimen Ecclesiæ bene dicitur Hierarchicum id est Regimen Sanctum.

§ XXIII.

Quæ itaq; Ecclesia * docet, quæ jubet, quæ tradit, credenda sunt: facienda sunt.

* Non talis, sed quidquid vera per Scripturam Canonicam docet.

Retorquet argumentum *Menonista*. Illa Ecclesia est vera, quæ docet per *Scripturam* Canonicam. Sed Ecclesia Protestantium non docet per *Scripturam* Canonicam. *Ergo* Ecclesia Protestantium non est Ecclesia vera. Probat Minorem. Scriptura docet non esse jurandum: esse tantùm adultos baptizandos: non esse vocandum nobis *Patrem* super terram &c. Contrarium autem docet Ecclesia *Protestantium*. Ergo.

℟. Jam ostendi, non Scripturam dici columnam Ecclesiæ; sed Ecclesiam esse columnam veritatis. Quod etiam ipse censor ipso facto docet, cùm dicit: quæ per Scripturam *Canonicam* docet. Unde quæso, habetur *Canon* Scripturæ nisi ex testimonio Ecclesiæ? Certè nemo de se testimonium perhibet, ut probatum *Præmisso 9. n. 16.*

Soliloquium Illmi Comitis	*Censura Dissidentis*
§ XXIV. Illa * dicit, collectionem quorundam vetustiorum librorum; item aliquot Epistolarum, à diversis authoribus, diversô tempore, & diversîs locîs scriptarum, esse Verbum DEI. Nisi diceret ** non crederem. Planè, ut S. Augustinus: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi mè Ecclesiæ *** Catholicæ commoveret Authoritas.*	* Talis Ecclesiæ authoritas; quòd Authoritati S. Scripturæ Canonicæ opponatur, & præponatur; quàm absurdum! ** Ecclesiasticum de libris Canonicis testimonium non rejicitur; at solum non satisfacit, tanquam secundarium. *** Nimirum Ecclesiæ primitivæ; nec tamen exclusis (*motivis*) argumentîs cæteris. Unde etiam Gerhardi Confessio Catholica l. 2. art. 1. c. 5. p. m. 300. Ubi prudentiores Pontificii planè alium in sensum locum Augustini explicant.

Retorquet Menonista. Quæ authoritas Ecclesiæ opponitur authoritati Scripturæ Sacræ Canonicæ, illa est absurda. Sed Ecclesiæ Protestantium authoritas, docens posse baptizari infantes, juramentum esse licitum, opponitur authoritati sacræ Scripturæ Canonicæ. Ergo est absurda.

℞. Ex *Præmisso* 11. deducitur, nihil esse absurdi, etsi Ecclesia ex justis rationibus in aliquo opponatur sacræ Scripturæ Canonicæ. *Sed* neq; est absurdum, quòd Ecclesiæ authoritas aliquomodo præponatur authoritati S. Scripturæ;

si se-

si secundùm D. Paulum: *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis.* Quæro ex te Domine Censor: Credisnè illa, quæ sunt v. g. in Actis *Apostolorum*? Respondebis sine dubio, Credo, & quidem infallibiliter. Quæro ulteriùs: Quare credis? Respondebis, quia Acta Apostolorum sunt Verbum DEI infallibile. Rectè respondes. Sed quæro ulterius: Unde tibi constat, quòd Acta Apostolorum sint Verbum Dei, & non Periodi Pauli; qui liber etiam est scriptus in primitiva Ecclesia, à quodam *Presbytero* amatore Pauli? Respondebis, quia id tradidit primitiva Ecclesia. Rectè. *Sed* infero: Ergo traditio Ecclesiæ est ultimum resolutorium tuæ fidei: Nisi enim hæc Ecclesia tibi testimonium dedisset; & quidem infallibile; non posses *tutò* credere, Acta Apostolorũ esse Verbum Dei; si autem non posses tutò credere esse Verbum Dei; neq; posses tutò credere esse infallibilia. Ergo tandem ultimatò fides tua subsistit in testimonio Ecclesiæ. Ergo non est absurdum, authoritatem Ecclesiæ aliquomodo præferre Authoritati *Scripturæ*. *Nam propter quod est aliquid tale* (ut loquitur universale axioma) *& ipsum magis.* Quanquam nec hoc verè dici potest; quòd Catholici per recursum ad testimonium Ecclesiæ, præferant authoritatem illius, authoritati *Scripturæ*. Nam Catholici credunt, eundem esse authorem infallibilitatis in testimonio Ecclesiæ, qui est in Scriptura, nimirum eundem *Spiritum S.*

Dices

Dices, te quidem admittere infallibilitatem testimonii Ecclesiæ primitivæ, non autem Ecclesiæ sequentis. ℞. 1mo ad hoc punctum *in Præmisso* 9. ℞. 2do. *Sumamus* eadem Acta Apostolorum, qui est ultimus liber historicus novi testamenti; estq; etiam secundum te, Verbum Dei. Quæro : Ex qua *Scriptura* primitivæ Ecclesiæ, deducis hanc Historiam esse Verbum Dei? Fortè illam non invenies, sine recursu ad sequentem Apostolos Ecclesiam. Quæ est enim hæc scriptura? Et datâ etiam hâc. Iterum similis redibit quæstio? Deinde oppono hîc retorsionem Menonistæ, subjiciendo Minori, Sanctificationem sabbathi; & Circumcisionem Timothei à Paulo; cui, nescio, an quis imponere audebit absurdam actionem.

Assertioni meæ suffragaris ipsemet Censor; cùm dicis: *Talis Ecclesiæ authoritas, quòd authoritati Scripturæ sacræ Canonicæ opponatur, & præponatur, quàm absurdum!* Aliud est Scriptura, aliud *Scriptura Canonica.* Scriptura enim *Canonica* dicit plus, quàm Scripturam solam. Quid illud? nisi *legitimitatem Scripturæ*. Unde quæso habetur ista legitimatio seu Canon? Non ab ipsa Scriptura. Ut probavi *Præmisso* 9 *n.* 16. Ergo aliunde. Unde ergo, si non ab authoritate Ecclesiæ? Non primitivæ, vel saltem non solius primitivæ, ut ibidem probatur. Ergo hæc canonizatio, est etiam ab Ecclesia posteriore, saltem quoad illos libros, de quibus non sunt testati Apostoli,

Quod

Quòd Gerhardus in sua Confessione *quasi* Catholica, adducat aliquos authores Pontificios, quasi alio sensu explicent assertionem S. Augustini; quos Censor vocat prudentiores; quòd ad speciem suæ sententiæ favere videantur, revera autem non favent; hoc nihil evincit: neq; enim Catholici, cujuscunq; authoris sensum sequuntur, & hi ipsi ad testimonium Ecclesiæ, recurrunt. Imò & ipse Gerardus citatô locô favet Sententiæ Divi Augustini, cùm dicit c. 5. n. 2. *Officium Ecclesiæ est, testari de Canone; item interpretari Scripturam. & refellere Hæreticos &c. Sed hoc Officium Ecclesiæ, non est confundendum cum ipsa Scripturæ auctoritate, seu legimitate, quæ solùm proponitur ab Ecclesia, tanquam conditione, & teste.* Ecce hîc evidenter Gerhardus ad auctoritatem & legimitatem Scripturæ, requirit testimonium & authoritatem Ecclesiæ, saltem ùt conditionem sine qua non. quod ipsum requirit S. Augustinus, ut consideranti patebit. Quid enim aliud hi termini designant: *Non crederem nisi &c. vel, si non?* Nec nos confundimus legitimitatem dictam cum testimonio Ecclesiæ; quia nos Scripturæ, quàm jam scimus esse authenticam, non credimus *immediatè* propter testimonium Ecclesiæ; sed quia est Verbum DEI; licèt non possimus credere infallibiliter eam esse tale Verbum, nisi sub conditione, si id Ecclesia, vel alius certò infallibilis, testetur. Admittimus insuper, etiam aliquam dependentiam testimonii Ecclesiastici infallibilis, à Scriptura authentica; siquidem illius infal-

 libili-

libilitatem probamus (argumentô ad hominem admittentem v. g. Epistolas *B.* Pauli esse verum Dei Verbum) ex ejusdem *B.* Pauli authoritate, dicentis: *Ecclesiam esse columnam veritatis.* Sed hac authoritate positâ, nondum sistimus; verùm procedimus ad ulterius testimonium, quòd testetur etiam Pauli assertionem, esse à Deo; quod & ipsemet Gerhardus facit eodem *cap. n. 8.* ad miracula scilicet & alia motiva credibilitatis, dicentes cum Nicodemo: *Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Joan. 3. v. 2* Et cùm jam habemus sufficientia documenta; quòd *S*criptura *S*acra sit Verbum Dei, tunc illi immediatè credimus propter authoritatem dicentis Dei.

§ XXV.

Illa istius Verbi Divini sensum determinat; * aliàs illud intelligerem meo jure pro captu meo, non ad lubitum alterius.

* Testimoniô tántùm secundario, nam *primarium* sive adequatum, est *S*piritûs S. testantis per Scripturam, idq; minimè humanum.

Retorquet argumentum Menonista: Quod testimonium non est Spiritûs S. testantis per Scripturam; illud testimonium non est adæquatum ad credendum. *S*ed testimonium Ecclesiæ Protestantium, docentis: Licitum esse baptismum parvulorum, & juramenta, non est *S*piritûs S. testantis per Scripturam; cùm oppositum doceat Scriptura. Ergo non est adæquatum ad credendum.

℟. Etsi testimonium Ecclesiæ de sensu Scripturæ sit humanum, utpote ab hominibus datum; tamen quia procedit ex assistentia *S*piri-

tûs

tûs S. est adæquatum. Sicut Evangelia sunt aliquid humanum, utpote opera hominum, nimirum Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis; (non enim illa vocamus Evangelia Spiritûs Sancti) quia tamen sunt dictata à Spiritu S., acceptantur, tum à Catholicis tum à Dissidentibus, pro testimoniis adæquatis; adeoq; sunt credenda infallibiliter.

§ XXVI.

Illa dicit, Christum & Apostolos multa * vivâ voce tradidisse, Quis quæso aliud sibi persuaderi patiatur?

* Non autem *fundamentalia*, præter seu extra Scripturam.

Retorquet argumentum Menonista: Quæ sunt præter seu extra Scripturam illa non sunt fundamentalia, nec persuasibilia. Sed baptismus parvulorum, juramenta &c. sunt præter seu extra Scripturam, ut ostendi. Ergo non sunt fundamentalia.

℟. Nunquid Canon Sacræ Scripturæ non est aliquid fundamentale, quô sublatô, ruit tota certitudo Scripturæ? Quis enim credat esse certum, quòd Scriptura Sacra dicit, nisi constet infallibiliter, quòd sit Verbum Dei? aliàs aliquis posset, credere Alcorano tanquam Sacræ Scripturæ. Non constat autem aliunde, nisi ex traditione Ecclesiæ. Nunquid observatio mandatorum Divinorum, consequenter & sanctificatio diei Sabbathi, non est, aliquid fundamental,

tale, fine qua homo rationis compos non poteſt ſalvari, juxta illud Chriſti: *Si vis vitam ingredi, ſerva mandata Matt. 19. v. 17.* & tamen Canon Scripturæ, uti & Sanctificatio diei Dominicæ, habetur tantùm vivæ vocis oraculô, extra Scripturam.

§ XXVII. & XXVIII.

At inquis, mali fuerunt non pauci Pontifices. Fuerunt; ſed ſibi mali fuerunt. *

Eccleſiam corrumpere non potuerunt. Niſi dixeris, unum Papam, tot Archiepiſcopos, Epiſcopos, & tot Prælatos toto orbe diffuſos, momentô quaſi pervertiſſe. Portentum! **

* Certè non fuerunt teſtes ullo modo idonei (contra § 16.) de quo eſt quæſtio.

** Portentum non video. Nam Archiepiſcopi, Epiſcopi, imò integra Cōcilia, juxta Pontificios ſubjecta Papæ authoritati; Cur à Capite, non ad mēbra tranſeat Corruptio! idq; non unô momentô, ſed ſucceſſivè, prout in Judaica Eccleſia, culpâ Doctorum, eveniſſe conſtat.

℟. Pontifices Romanos eſſe teſtes idoneos & infallibiles, abundè jam probavi ſupra: & conſirmatur ex *Ioan. c. 1. v. 51.* ubi de infallibili prophetia Caiphæ, quâ dixit: *Expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* ponitur ratio: Hoc autem à ſemetipſo non dixit: *ſed cùm eſſet Pontifex anni illius* (ſummus, nam & Annas erat Pontifex, ſed eo annô non ſummus) *prophetavit.* Quodſi ſummus Pontifex, eſt infallibi-

fallibilis, (quoad articulos fidei) quomodo potest corrumpere Ecclesiam in credendis? sicut caput non infectum, non potest corrumpere subjecta sibi membra. Verum est, quòd Concilia sint subjecta authoritati Pontificis. Hoc enim requirit rei natura; ut membra subjecta sint Capiti.

Portentum sanè evidens; si unus Papa, tot viros pios, doctos, Scripturæ immersos, salutis suæ amantissimos, ferè unô momentô posset corrumpere. Nam, ut primùm ad notitiam Catholicorum Conciliorum statuta perveniunt; indilatè ab omnibus acceptantur quoad credenda. Quidquid sit, quòd aliquæ leges morales non acceptentur, ex justis & privatis rationibus: (ut est factum in legibus Concilii Tridentini de matrimonio clandestino) & interea fit recursus ad summum Pontificem, pro illis non urgendis.

§ XXIX.

Num & Vestri Episcopi sic dicti, vestri Superintendentes & Antistites, semper fuerunt boni? *

* Neq; hi, seu boni seu mali, à Protestantibus producuntur ut testes adæquatè idonei; quales sunt ipsi Scriptores Bibliorum Canonici.

Retorquet argumentum Menonista: Qui non sunt Scriptores Bibliorum Canonici, illi non sunt testes adæquatè idonei. Sed qui docent baptismum parvulorum, juramenta &c. esse licita, non sunt Scriptores Bibliorum Canonici.

Ubi enim *Biblia* docent, præfata esse licita? Ergo non sunt testes adæquatè idonei.

℟. Reflecte te mi Censor, quò te abripit intensus cavillationis æstus, ut etiam ipsos Apostolos idoneitate testimonii adæquati spoliare audeas. Num Andreas num Philippus, num Bartholomæus &c. fuerunt *Scriptores* alicujus libri *Bibliorum*? Deinde, unde tibi constat, quòd Acta Apostolorum sint Lucæ? Evangelium Ioannis & Marci, Epistolæ Petri & Pauli &c. sint verè eorum *Scripta*, & non aliorum, composita sub nomine ipsorum? Nisi id testaretur Ecclesia. Certè post annum Christi *210*. prodierunt in publicum quædam Scripturæ sub nomine *Mathiæ*, item sub nomine Petri & Ioannis quæ non erant ipsorum: sed cujusdam Leutii; item sub nomine Andreæ, quæ composuerunt Nexocharides & Leonides Philosophi. Quas *Scripturas* damnavit Innocentius Papa I.

§ XXX

Illi tamen multò addictiùs imperant; quàm summi Pontifices. *

* Assertio irrita.

℟. Probabitur inferius § 33. quòd non sit irrita.

§ XXXI.

Sed inquis, Porro iudicârunt Concilia necessariam esse reformationem; tam in doctrina, quàm vita, & moribus. * An

* Nulla hinc valet *consequentia* ad Ecclesiam, quatenus supra consistit in testibus *successivis*; verumtamen ad eam; quatenus mem-

Soliloquium Ill̃mi Comit: vero fortius argumentũ inveniri potuisset; quô probetur: Ecclesiam universalem nunquam errasse? Quis enim errori medelam afferre potuisset ipse errans?

Censura Diffidentis. membrîs constat, tametsi paucîs, Regulâ Verbi Deî rectè utentibûs; quorum est reformare. Remanserunt etiam in Romana Ecclesia testes veritatis, qui emendationem urgebant, & medelam afferre potuissent; sed malorum numerô obruti, parum aut nihil in commune consulere potuerunt. Conciliorum quoq; opera inutilis, & irrita reddita est; postquam dogma invaluit: Papam esse super Concilia.

Retorquet argumentum *Menonista*: Qui Regulâ Verbi Dei rectè non utitur, non est testis idoneus. Sed Ecclesia Protestantium, Regulâ Verbi Dei docentis, baptizandos esse credentes, adeoq; maturos, prohibentis juramenta &c. rectè non utitur. Ergo non est testis idoneus.

℞. Optima sanè est Consequentia: *Necessaria fuit reformatio, tam in doctrina, quàm in moribus. Ergo non potuit fieri, nisi per errare nescios.* Hanc enim Consequentiam probat, ipsemet Christus: *Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo incidunt in foveam. Matt. 15. v. 14.* Ulterior censura, est petitio principii. Quod autem Censor asserit: *In Romana Ecclesia remansisse testes veritatis; qui emendatio-*

dationem urgebant; & medelam afferre potuissent; libenter vellem scire; qui nam illi fuerint testes veritatis? Num Arrius in Concilio Nicæno; qui negabat Patri consubstantialem esse Filium? Num Macedonius in Concilio Constantinopolitano 150. *Patrum; qui negabat Spiritum* Sanctum esse *Deum*? Num Nestorius in Concilio Ephesino 200. Patrum; qui purum hominem ex MARIA natum, asseruit, & aliam *Personam*, Carnis, aliam Deitatis? Num *Palladius* & Secundianus, in Concilio Aquileiensi Arrii sectator? Num Eutiches in Concilio Chalcedonensi 630. Patrum; qui in Christo negabat diversas naturas? Num Servius, Paulus, Pirrhus, Petrus, Cyrus & Theodorus, omnes Archiepiscopi Constantinopolitani, in 6ta Synodo Constantinopolitana; qui docebant unam voluntatem, & unam operationem in dispensatione Incarnationis Domini nostri IESU Christi? Num piissimus ille Photius in Conciliabulo Constantinopolitano sub Leone Hæretico, *Præsidens*; ubi damnaverat usum imaginum; piissimus inquam ille Photius, qui in Concilio generali Constantinopolitano damnatus est cum sui sequacibus, ut sæcularis, ut tyrannus, ut *Schismaticus*, ut mæchus & parricida? Hæc & plura antiquiora non prosequor; utpotè, quæ ipsimet Dissidentes nobiscum damnant, acceptantq; prima Concilia generalia; licèt ab hominibus, & non Angelis vel *Diis* facta. Nisi fortè aliqui pro genio suo acceptent; alii non.

Venio

Venio ad recentiores Reformatores, ut Joannem Husium, Ioannem Wiclefum, Ioannem Calvinum, & Martinum Lutherum, quos tanquam magnos Prophetas, Spiritu Sancto plenos, Viros pretiosos, & optimos Scripturæ Sacræ interpretes, plenis buccis deprædicant Domini Dissidentes. Itanè Spiritus Sanctus inspiravit Wiclefio propositionem illius III. *Christus non est in eodem Sacramento* (Eucharistiæ) *identicè & realiter propriâ præsentiâ corporali.*

Item IV. *Si Episcopus vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.* Qua securitate ergo baptizantur tot infantes, tot sumuntur Comuniones &c. cùm nemo sciat, an amore an odio dignus sit; consequenter, an sit in peccato mortali, nec ne?

Item VI. *Deus debet obedire Diabolo.*

Et XI. *Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare; nisi priùs sciat esse excommunicatum à Deo. Et qui sic excommunicat, est Hæreticus.*

XV. *Nullus est Dominus Civilis: nullus est Prælatus: nullus est Episcopus: dum est in peccato mortali.* Cùm tamen S. Petrus Ep *1. v. 18.* dicat: *Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis.*

XVII. *Populares possunt ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.*

XLIII. *Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus & commercia civilia.* Omitto alias propositiones; in quibus cum Protestantibus convenit.

Itanè

Itanè Spiritûs Sanctus inspiravit Joanni Hussio propositionem illius

II. *Paulus nunquam fuit membrum Diaboli, licèt fecerit actus quosdam actibus Ecclesiæ malignantium consimiles.* Cùm tamen se ipsemet indignum nomine Apostoli vocitet; *quoniam persecutus est Ecclesiam Dei 1 Cor. 15. v. 9.* Item propositionem 30. quæ est Wicleffi XV. Item, quòd publicè prædicaverit Ioannem Wicleffium virum Catholicum; & authorem Evangelicum &c.

Nunquid Spiritus S. inspiravit Calvino; quòd in Eucharistia non sit verè & realiter Corpus Christi?

Nunquid Luthero inspiravit illam particulum *Sola*; quàm se addidisse fatetur ad illud: *ex fide justificat gentes Deus. Galat. 3. v. 8.* Licèt Deut. *4. v. 2* expresse dicatur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Plura illius dogmata, & multa sibi contradictoriè opposita, legi possunt in ejus libris.

Nunquid Spiritus Sanctus inspiravit Ecclesiæ Anglicanæ, præter plura manifestè erronea dogmata; quòd etiam sæcularis homo, etiam puer, etiam fæmina, possit esse caput Ecclesiæ?

Dogma hoc, quòd Papa sit supra Concilia, ipsa natura probat; quæ caput statuit supra omnia alia membra; probant Regna Monarchica; probat Christus, qui non pro communitate; sed pro Petro singulariter oravit, *ut non deficiat fides illius*: &, non Fratribus demandatum est confirmare Petrum, sed Petro confirmare Fratres. Nec aliis

Aposto-

Apostolis datæ sunt claves Regni cælorum, sed soli Petro. Nec supra alios Apostolos, sed super Petrum ædificavit Christus Ecclesiam suam.

§ XXXII.

At multa nova invenit Ecclesia Catholica. Primùm vos multa nova appellatis; quæ sunt antiquissima * & cujus origo non constat. Unde est ab Apostolis. Deinde sunt aliqua nova v.g. festi dies, solennitates, ritus &c. alia quæ ad doctrinã pertinent ** non agnosco. Quid tum? An malum est, quòd pars hominum: quæ est multò maxima, rebus terrestribus immersa, avertatur ab objectis frivolis, & ad unum necessarium? *** Quod sine sensuum auxilio fieri vix potest.

* Verè antiqua, Protestantes non appellant nova.

** Ecclesiam Pontificiam fovere *doctrinalia nova*; & quidem contaminata erroribus, negari nequit v. g. de Invocatione Sanctorum, de Communione sub una specie &c.

*** Nova inventa ad rituales ceremonias pertinentia, quàm facilè aberrent à fine justo, graviter docetur Matt: V. Coloss. II. &c. Quam cautionem aspernãs Ecclesia Pontificia, authoritate abutitur in multis.

Retorquet argumentum Menonista: Ecclesia fovens doctrinalia nova contaminata erroribus, authoritate suâ abutens, non est Ecclesia Christi. Sed Ecclesia Protestantium est fovens doctrinalia nova, & abutens authoritate suâ, circa baptismum & juramenta &c. (Ante Protestantes enim docebat Wicleffius propositione XLIII. Juramenta esse illicita; & S. Ambrosius sæculo 4tio, primùm baptizatus est, cùm fieret Episcopus)

pus) adeoq; abutitur authoritate sua, in baptismo parvulorum &c. Ergo Ecclesia Protestantium non est Ecclesia Christi.

℞. Verè antiqua, Protestantes appellant nova. Nunqnid novum est, quod dixit Deus ad Abimelech *Gen. 20 v. 7. Nunc ergo redde viro uxorem; & orabit pro te: quia Propheta est. & vives.* En fructum & vim orationis *Sancti* pro delinquente, absq; injuria Mediatoris Christi ab Abraham prævisi. Nunquid novum est, quòd dixit Deus ad Eliphas Themaniten: *Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum; sicut servus meus Job: Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis. Job autem servus meus orabit pro vobis. Faciem ejus suscipiam; ut non vobis imputetur stultitia. Job. 42. v. 7.* Nunquid novum est, quòd adhuc temporibus Apostolorum, Christiani infirmi pro obtinenda sanitate, ad Petrum recurrebant, *ut saltem umbra illius obumbraret eos. Act. 5. v. 15.* ad Paulum autem recurrebant pro sudariis & semicinctiis *Act. 19. v. 12.* Nunquid nova est illa oratio S. Augustini: *Sancta MARIA succcurre miseris &c.* Quod autem spectat ad honorem & cultum Sanctorum religiosum; Nunquid est quid novum Basilica *SS.* Petri & Pauli, Romæ à Constantino Magno, Deo in honorem eorundem Sanctorum erecta? Nunquid sunt novæ, in omnibus ferè Regnis tot Ecclesiæ, pariter Deo in honorem Sanctorum à tot sæculis erectæ? Forte dices:

Illos

Illos Sanctos tunc fuiſſe in vivis. Quid tum? ſive vivo, ſive mortuo deferatur honor cum injuria Mediatoris Chriſti: æquale crimen eſt. Et, cùm hac ratione transferas ephippium in alium equum; apparet, primum non eſſe habilem, ad conſequendum terminum.

Sed & Communio ſub una ſpecie, non eſt quid novum. An enim novum eſt, quòd Chriſtus diſcipulis in Emmaus pernoctantibus, acceperit panem, benedixerit, fregerit, ac porrexerit? qui etiam aperuit oculos eorum, ut eum cognoverint. *Luc. 24. v. 30.* Quod ſimplex panis præſtare non potuiſſet; adeoq; fuerit panis conſecratus; & tamen porrectus ſine vino. An novum eſt, quòd *Act. 2. v. 44. Fideles baptizati, ſtatim poſt baptiſmum, erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & Communicatione fractionis panis?* Ubi pariter nulla mentio vini. An novum eſt, quod dicit Paulus 1. *Cor. 11. v. 27 Quicunq; manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini in igne: reus erit Corporis & Sanguinis Domini?* Eſt propoſitio disjunctiva. Ergo non conjungit uſum panis cum uſu vini, ſed potiùs disjungit. Ergo unum ſine alio ſumebatur; aliàs dixiſſet Paulus. *Quicunq: manducaverit & biberit.* Et eodem tempore dixit Paulus de pane conſecrato: *accipite & manducate.* Quæ eſt propoſitio abſoluta. Ubi autem dicit de vino, adjecit particulam, *Quotiescunq;* certè non fruſtra; quæ facit propoſitionem conditionatam: *Hoc facite. quotiescunq; bibebis,* ſeu *ſi bibetis.* Ergo uſus Panis præcipitur abſolutè,

solutè; usus autem calicis ad libitum. Consequenter denotat, quòd non semper Christiani primi calice usi fuerint. Certè fugientes in eremos persecutionem solo se pane munierunt; cùm vinum ad longiorem conservationem, præsertim in calidioribus regionibus non fuerit habile.

Dato etiam, quòd Pontificii aliqua nova doctrinalia foverent, etiam quasi contra Scripturam, nunquid hoc malum esset, & illicitum? Licuit Themistocli, licebit Epaminondæ. Licuit Ecclesiæ primitivæ, contra antiquam consuetudinem, inducere sanctificationem diei Dominicæ; cur non posteriori, Communionem sub una specie; cùm utraq; sit paris authoritatis, & non minus est præceptum de Sanctificando Sabbatho; ac (si esset) de Communione sub utraq; specie.

Quid adducat contra nos Censor ex *Matt:* 5. non video, neq; ullus, vel mediocriter prudens, totum istud relègens, videbit. Ex epistola ad Colossenses fortè adducit statuitionem jejuniorum, dierum festorum, ac superstitionum secundùm doctrinas hominum; quæ sunt in interitum; sed libenter vellem mihi demonstrari doctrinas Catholicas, quæ sint ad interitum. Si doctrinam de jejunio? Certè *Tob.* 12. v. 8. *Bona est oratio cum jejunio.* David S. *humiliavit animam suam in jejunio Ps:* 34. v. 13. *Et, Genua ejus infirmata sunt à jejunio, & caro ipsius immutata est propter oleum. Psal.* 108. v. 24 & fructuosè *prædicaverunt Ninitivæ jejunium*, & quidem ex doctrina hominum. *Jona* 3. v. 5. Et Joannes Baptista laudabiliter *vinum*

num & siceram non bibit Luc. 1. v. 15. Et ipsemet Christus *jejunavit 40. diebus & 40. noctibus. Matt. 4. v. 1.* Et deniq; ipsi Dissidentes diebûs suis pœnitentiæ, præcipiunt abstinentiam ab omni cibo; hac differentia; quòd Ecclesia Catholica præcipiat abstinentiam à certis cibis ad 24. horas; Dissidentes autem abstinentiam ab omnibus cibis ad horas 12. Non prohibetur tamen Catholicis abstinentia etiam ab omnibus cibis ad horas 24. Dies festi pariter indicuntur à Dissidentibus, & quidem in honorem etiam Principum sæcularium, licèt frequenter damnandorum. Superstitiones etiam in Ecclesia Romana non video, quas illa præcipiat; quidquid sit, quòd contingant motu proprio à rudi plebe; ut fit etiam apud Dissidentes. De jejuniis etiam & diebus festis nescio quis promanet interitus? Imò Judiciô Medicorum provenit sanitas corporum & animæ; cùm per jejunia fiat homo magis dispositus ad spiritualia, juxta illud: *Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam;* & feriatio ab operibus servilibus, tribuit commodum tempus ad laudes Divinas, & vacandum rebus Spiritualibus.

§ XXXIII.

Demum (inquis) Ecclesiam Catholicam Spiritu persecutionis & crudelitatis agi * *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?* Scilicet Spiritus Christi, Spiritus inquit mansue-

* *Pontificia tyrannis è tot exemplis manifesta, nequaquam purgari potest verbîs ejusmodi ambiguis; si vel maximè excidissent talia Luthero qui interfecit neminem. Nos*

quoq;

Soliloq: Illmi Comitis	*Censura Dissidentis*
tudinis & charitatis Christianæ suggessit Luthero verba: Cujus verba hæc sunt: *Cur hos Papas, hos Cardinales &c. non occidimus; & manus nostras in eorum sanguine lavamus?*	quoq; in verba Lutheri non juramus, ejusq; doctrinam, dicta, & facta non probamus, nisi quatenus cum Sacra Scriptura congruunt.

Retorquet argumentum *Menonista*. Ecclesia tyrannica, non est Ecclesia Christi. *Sed* Ecclesia Protestantium, recedentes à doctrina sua, tum exiliô tum consiscatione bonorum, tum morte puniens &c. est tyrannica. Ergo non est Ecclesia Christi.

℞. Ita sanè, Pastoribus non licet propulsare lupos, vel interficere, cùm gregem invadunt, & discerpunt! Permittendum illis est, ut faciant cum ovibus, quod volunt. An tales Pastores non Mercenariii potiùs essent, qui visô lupô fugerent, & lupus raperet oves & discerperet?

Itanè Magistratibus sæcularibus, licet etiam severissimîs pœnîs punire sceleratum contra Deum, tum contra Principes, tum contra alios minores; & non Spiritualibus, præsertim verò illis, qui utrumq; gladium tam spiritualem, quàm sæcularem, non frustra portant? Certe *Cùm reus absolvitur, Judex damnatur.*

Nunquid tyrannus fuit ille mitissimus virorum Moyses, Propheta simul & *Princeps*, qui eodem die per manus *Spiritualium*, scilicet Levitarum, occidir triginta tria millium hominum, absq;

absq; respectu minorennium innocentium, ob idololatriam vitulo exhibitam? *Exod* 32 *v.* 28. Nunquid tyrannus fuit Elias, qui simul 450. Prophetas *Baal*, falsam doctrinam spargentes, occidit gladio? 3 *Reg.* 18. *v.* 40. Nunquid tyrannus fuit Petrus, qui ob unum mendacium percussit subita morte Ananiam & *Saphiram*. *Act.* 5 *v.* 5. Nunquid tyrannus fuit Paulus, qui Elymam *Magum* durissimis verbis priùs increpitum, quærentem Proconsulem avertere à fide, excæcavit? *Act* 13 *v.* 11

Clementissimam sanè Dissidentium Ecclesiam, quæ mitissimè egit, cùm adversantibus doctrinæ suæ! Clara est ista clementia in rogo Servetii, cui illum adjudicavit vivum comburendum Calvinus, quòd illius doctrinæ non obedierit. Refulget par clementia Zwinglianorum in Anglia de piacularibus flammis, quibûs Georgium Parisium ob Arianam; & Joannam Bucheram ob Valentinianam; Annam Ascuam ob Calvinianam fidem, vivos concremarunt *Sanderus.* Legere licet hucusq; decretoriam Sententiam Alberti Ducis Prussiæ, quâ ad instantiam Funcii Osiandristæ, homines Confessionis Augustanæ adigebantur, ad acceptandam doctrinam Osiandri de justificatione. Nunquid Merlinus Minister Collegii Regiomontani, ob eandem rationem non est pulsus ex Prussia? Quid evenit etiam aliis Ministris Ecclesiarum Prussicarum? Nunquid superveniente altero *Spiritu*, sivit quiescere manes Osiandri, idem Albertus Dux? cu-

jus ossa arida, in templo sepulta, exhumari jussit; & nescitur quò? in cloacamne, an in sterquilinium transferri. *Hist: Pruss.* Nunquid in Svecia parcitur accedentibus ad Ecclesiam Catholicam? Ingredere mi Censor, Parlamenta Angliæ (si tamen eò pervenire permittet immensa sanguinis eluvies) eorumq; decreta lege; quibus tot innocentes, tot Sancti, tot omnium ore celeberrimi viri, ad crudelissimam & probrosissimam mortem condemnati sunt. Quibus, cùm nullam mortis causam invenire possent, creandum erat ex nihilo, crimen perduellionis, Deo & rectæ rationi repugnans: Si quis Principem sæcularem, imò & fæminam, pro Capite Ecclesiæ, acceptare nollet. Unicus Thomas Morus Cancellarius Regni, Amor populi, inter probos probissimus, ad furcam damnatus, pro mille testibus Anglicanæ crudelitatis, testis est. Unde meritò exclamat Illmus Comes Metternich: *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?* Prosequitur Juvenalis: *Si fur displiceat, ac homicida Miloni.* Si comparationem crudelitatis Protestanticæ, cum Justitia vindicativa S. Romanæ Ecclesiæ, facere voluerimus exclamare, debebimus: *O mites Diomedis equos Busiridis aras clementes!*

Justificat Censor Lutherum, quòd ipsemet neminem, id est propriâ manu, occiderit. Nunquid occidit Papa? Innocentissimum sanè Lutherum, cum innocentia Crucifixorum Christi Judæorum, exclamantium: *Nobis non licet interficere quenquam. Joan. 18. v. 31.* Lavate Domini Lu-

therani manus cum *Pilato*; Lutheriq; innocentiæ applaudite, dicentes: Innocens est à *Sanguine* justi, quia nullum ex illis manu propriâ occidit. Bono animo estote etiam crudelissimi Tyranni; qui tot innocentes ad mortem condemnastis; & ipsimet non occidistis. Totam crudelitatem in Ministros Justitiæ Carnifices, devolvite. En habetis resolutionem Theologicam à Censore *Soliloquii*.

Nunquid Incentores mali non graviùs puniuntur? Et Lutherus incensor hujus Cantilenæ: *Cur hos Papas, hos Cardinales, non occidimus*, est innocens? Si illi fuisset tantum potestatis, quantum Romano Pontifici, fortè novum sensisset *Brutum* Julius.

Vidit Belgium Neronianam lenitatem, ubi Hugonotti rerum potiti, sæculo XV. cùm per deditionem arcem Gorcomiensem intercepissent, quàm delicatè Nicolaum *Pickium* Guardianum, aliosq; Religiosos ac sæculares Sacerdotes, contra datam fidem, tractaverint. Cùm Gvardianum fune cinctorio de superliminari suspensum, crebrisque attractibus convulsum, rupto tandem fune pavimento illisum, mortis explorandæ causâ, candelîs ardentibûs admotis, crematâq; totâ facie, & ore vi diductô, linguam & palatum combusserunt; quin etiam insertam naribus flammam in cerebrum submiserunt. Postea Dordracum, & tandem *Brilam*, deductos, post innumeras contumelias verbera, famem, infami trabe suspenderunt. Et quia parum in vivos sævisse

videbatur Hugonottica clementia; perquisitum abdomen pretiô venale exposuerunt Mortuorum corpora naribûs, auribûs, aliisq; partibûs mutilârunt; quas in signum consummatæ crudelitatis pileis affixas, infami ludibriô circumtulerunt.

Dicit insuper Censor: Dissidentes non jurare in verba Lutheri; sed tantùm in quantum sunt conformia *Scripturæ S.* Infero: Ergo Lutherus non fuit testis idoneus; & indebitè illi tribuitur reformatio Ecclesiæ: quæ potiùs tribuenda esset *Scripturæ*; quæ, quia fuit quoad novum testamentum à temporibus Apostolorum; quoad vetus ab immemorabili; quis prudens imponet Eccclesiæ per sæcula cæcitatem; ut errores, quos advertisse primùm dicitur Lutherus ex informatione Scripturæ, non adverterint; licèt Ecclesia habuerit semper Viros Sanctissimos, doctissimos, & Scripturæ peritissimos; totq; fuerint celebrata Concilia, in quibus fiebant reformationes, si aliqui abusus irrepserant? Nisi fortè Censor recurrat ad illos Spiritu Sancto plenos Reformatores, *Photium Arrium*, Macedonium, *Zwinglium*, Hussium, &c. Qui qualem Spiritum habuerint, demonstravi § XXXI.

§ XXXIV.

Constat itaq; Ecclesiæ sua authoritas *

* Constat *abusus* Authoritatis Ecclesiasticæ; utpote, quæ supra Authoritatem Scripturæ Sacræ Divinam, hactenus elata, & huic pessimis cum nobis opposita est.

Retorquet argumentum Menonista Quæ Ecclesia effert authoritatem suam supra Scripturam, illa abutitur authoritate sua. Sed Ecclesia Protestantium effert authoritatem suam super Scripturam; nimirum super illam, quæ docet credentes esse baptizandos, juramenta non esse facienda &c. Ergo Ecclesia Protestantium abutitur authoritate sua.

℞. Hæc est consuetudo rebellium, objicere legitimæ potestati abusum authoritatis suæ. Quod benè in aliquo sensu authoritas Ecclesiæ præferatur Scripturæ Sacræ, probatum est § XXIV.

§ XXXV. & XXXVI.

Valete ergo, qui inter illam & me dissidium volunt. Valete, valete.

Cui hæc non sufficiunt, aliam viam ingrediatur. oret, legat, & consulat viros doctos & pios. Si volupe est disputare, disputet, sudabit & algebit. Et ego multa alia habeo; quæ me hortantur, ut redeam ad Ecclesiam. Multa. multa * Sed hæc sufficiunt nunc quidem mihi.

* Conscientia nec sudat nec alget; hoc est, non laborat inconstantiâ, nisi deserat Scripturæ. S. authoritatem, hoc est testimonium Spiritus S unicè firmum, & radicatum in Verbo Dei; & se transvertit ad inepta humana testimonia; quorum multitudo ipsam distrahit, ac disperdit; nunquam ædificat sive sustentat.

Retorquet argumentum Menonista Quæ conscientia deserit Scripturæ S. authoritatem, & transvertit se ad inepta humana testimonia &c.

Illa laborat inconstantiâ. Sed Conscientia protestantium deserit Scripturæ S. authoritatem; nimirum illius, quæ docet non esse jurandum &c. & transvertit se ad inepta humana testimonia; nimirum, quæ docent contrarium &c. Ergo.

℞. Ita est. Conscientia obdurata, & peccator in profundum veniens, contemnit omnia etiam ad salutem necessaria; adeoq; nec sudat super hæc, nec alget. At Conscientia delicata, solicita de salute animæ suæ, multum frequenter sudat & alget in timore & tremore; ne à via veritatis aberret; idq; ex præcepto Apostoli dicentis: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini. Philip. 2. v. 12.* Præsertim cùm se aliquando *Angelus Sathana transfigurat in Angelum lucis. 2. Cor. 11. v. 14.* Certè, etiam in aquis frigidis multum sudavit castissima Susanna, ab impudicissimis & inveteratis malorum Senecionibus ad adulterium solicitata; plurimum anxia quàm viam ingrederetur: an grandis infamiæ, à scelestissimis calumniatoribus sibi & toti suæ nobilissimæ familiæ inspergendæ, imo & vitæ amittendæ, contra illud *Eccl. 41. v. 15. Curam habe de bono nomine;* an propter vitandam hanc infamiam adulterium admittendum, in spem facilioris veniæ, ob coactionem obtinendæ? Certè sudabat Jacob Patriarcha, Matrine in simulando Esau obediendum; an Paternæ maledictionis periculum subeundum? *Gen. 27.* Quid plura? Nunquid non sudavit & alsit, & quidē usq; ad sanguinem ipsemet Christus in lucta illa Getsemanica, nunc Patrē petendo; ut *si possibile*

bile esset transiret ab illo calix passionis; nunc illius voluntati se subjicendo; licèt optimè sciret de se fuisse scriptum illud Psaltis: *In capite libri scriptum est de me; ut facerem voluntatem tuam Deus meus. Psal. 39 v. 8.* & totum Caput *Isaiæ 53.* Istené sudor est inconstantia? En quam ineptè, Conscientia, prudenter de re magni momenti, cum ingenti veritatis disquisitione deliberans, vocatur Inconstantia!

Ecclesiæ testimonia, quis prudens vocare pōtest purè humana, qui perpendit superiùs dicta licèt ab hominibus procedāt? Nunquid & Apostoli non fuerunt homines? Inepta videntur ineptis. Quia: *Quidquid recipitur, per modum recipientis, recipitur.*

§ XXXVII.

Taceo itaq;, & immensam Dei Sapientiam & Bonitatem adoro; quòd eo modo populum suum regi voluit; qui solus humanæ conditioni conveniens est * Omnes enim obedire possunt, non possunt omnes examinare, eligere.

* Contradicit Sacra S. pernegans, Deum post lapsum uti salutis viâ, quæ sit conveniens depravatæ hominū conditioni; *seu rationi* penitus corruptæ, præscribens autem viam *fidei*, atq; hanc, ipsis quoq; *stultis* seu infantibus gratiâ Spiritûs Sancti per Evangelium reddens planissimam. Matt: 11, v. 25. 26. Rom. 9 9. v. 11. 1. Cor. 1. v. 18. 21. 25. 24.

Retorquet argumentum Menonista. Via per Evangelium est via salutis planissima. Via Menonistarum est via per Evangelium; scilicet, quod

quod docet non esse jurandum &c. Ergo via Menonistarum esset via planissima.

Retorquet 2do. Qui sunt capaces Evangelii habent viam salutis planissimam. Sed infantes non sunt capaces Evangelii. Ergo non habent viam salutis planissimam.

℟. Cùm inter fideles plurimi sint, qui nec examinare, nec judicare, nec eligere possint: quid credendum sit; ut sunt rudes, illiterati &c. ad Providentiam Divinam & Sapientiam pertinebat, talem providere modum, quô quisq; ad rectam fidem etiam rudissimus, pervenire, & & quidem securè possit. Nimirum constituit Rectores Ecclesiæ, qui eos fidem rectam, & ejusdem fidei articulos doceant; quos etsi perfectè penetrare non possint; obligentur tamen ad obediendum illorum doctrinæ, etiam captivantes intellectum in obsequium fidei. Et sic in veteri testamento constituit ad hunc finé supra Cathedram Moysis Pharisæos & Scribas, qui fideles docerent, illi autem eis obedirent. Unde dixit Christus Dominus: *Supra Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæ dixerint vobis, servate, & facite* Matt. 23. v. 2. Et hoc ipsum prætendunt etiam *Protestantes*; qui rudioribus prohibent examina, disputationes circa fidem; sed volunt, ut credant simpliciter suis Doctoribus; aliàs per non intellectas rectè *Scripturas*, possent in varios incidere errores. Imò & prudentiores, peritioresq; *Scripturarum*, remittit frequenter Deus non ad Scripturas; Sed ad

ad homines bene Scripturas intelligentes, maximè ad illos, quibus data est intelligentia Scripturarum, & interpretatio sermonum, per specialem Spiritûs Sancti assistentiam. Et sic Eunuchus Candacis Reginæ fuit homo satis prudens & intelligens, submisit illi tamen Dominus etiam miraculosè Philippum. *Act.* 8. *v.* 31. qui illum rectè de Scriptura informaret. Sic satis peritus Scripturarum fuit Saulus; missus est tamen ad discendam fidem, non ad Scripturam, sed ad Ananiam. Act. 9. *v.* 7. Sic Cornelio Centurioni, non submisit Deus per Angelum librum Sacræ Scripturæ, ut olim Joanni Evangelistæ *Apoc.* 10. *v.* 2 *vel Ezechieli cap.* 3. *v.* 1. Sed Petrum *Act.* 10. Multa prætereà in Scriptura intellectu sunt difficilia, ut ipsemet Osiander, licèt non ex asse sectator Lutheri, in suo, supra *Petri cap.* 3. Commentario: ubi scribitur Christus prædicasse Spiritibus in carcere existentibus; fatetur, se hanc Scripturam non intelligere. (an potiùs, nolle intelligere; ne limbum Patrum concedere cogatur) selegit ergo sibi quosdam, quos munivit assistentiâ Spiritûs Sancti, ad quos, homines in omnibus difficultatibus suis possint recurrere absq; omni errore. Ipsemet Christus, qui meliùs in credendis informare posset, quàm Scriptura; regit Ecclesiam, etiam secundùm Dissidentes, tanquam Caput invisibile; & tamen non regit illam immediatè per se, sed per homines. Sicut ipsemet est Deus exercituum, & tamen eos regit & rexit per homines Duces, ut Moysen,

Josuen &c. Textus Apostoli Pauli assertionem Illmi Comitis minimè impugnat. Non enim ille negat, ad salutis viam, requiri viam fidei; cùm optimè sciverit: *Sine fide impossibile esse, placere Deo. Hebr. 11. v. 6.* Sed asserit tantùm quòd Deus, convenienti humanæ conditioni modò per homines utatur. Uti ipsemet Paulus asserit. *Rom. 10. v. 14. Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo prædicabunt nisi mittantur* (non motu proprio) Ecce non Scriptura mittitur per orbem, sed homines qui fidem doceant.

Si Scripturam ipsam Magistram fidei constituit Censor, mirari, satis non possum, quare Dñi Dissidentes tot Prædicautios tanto sumptu alant? ad quid enim sunt necessarii? Non ad prædicandum; quia horum prædicatio non est aliter acceptanda, ut asserit § XXXIII. nisi in quantum est conformis Scripturæ. Ut quid ergo fit per plura, quod fieri potest per pauciora? Cur omisso Prædicautiô non recurritur imediatè ad Scripturam maximè, quòd secundùm Dissidentes, ipsamet Scriptura se explicet, & doceat clarè omnia ad salutem necessaria? Quis quærat informationem à longè, cùm informatorem, & quidem talem, à quo longinquus informator primùm debet informari, habeat domi? maximè, quòd apud Dissidentes unicuiq; concedatur lectio Bibliorum; & Biblia habent singularem vim aperiendi veritatem? Non ad consecrationem Eucharistiæ: Quia cùm hæc verba: *Hoc facite in meam commemorat-*

morationem. Luc 22 v. 19. per quæ data est potestas consecrandi (ex alia enim Scriptura non ostenditur) dicta sint ad omnes homines; etiam fæminas (ut Dissidentes evincere conantur) omnes homines, etiam fæminæ, consecrare possint.

Non ad absolutionem à peccatis: Quia Prædicautii non absolvunt à peccatis; sed tantùm denuntiant remissionem peccatorum; cùm tamen meliùs sciat statum suæ conscientiæ pœnitens, quàm illius Confessarius; & habeat certiorem denuntiationem à Deo: *Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est --omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. Ezech. 18. v. v 21. 22.* Sed etsi etiam absolvere vellent; prudenter & validè non possent. *T*um propter defectum Ordinis. Tum quia nullus Judex rectè absolvere potest reum, ad generalem accusationem in delicto, qualem illorum pænitentes faciunt in suis confessionibus; nisi fortè vellent esse Iudices nequiores & imprudentiores Pilato, qui ad generalem accusationem Iudæorum, quâ arguebant Christum, quod esset malefactor, decretum ferre noluit, nisi priùs scivisset in particulari: Quid mali fecisset? Sine quali scientia Confessarii prudenter absolvere non possunt. Quia cùm illis potestas sit data ligandi & solvendi *Matt. 18 v 18.* debent priùs ex statu pœnitentis intelligere: an possit solvi; an ligari debeat? ne cæcô modô operentur. Hoc autem sciri non potest, sine confessione peccatorum in particulari. Et præterea, Dissidentes docent,

con-

confessionem posse sufficienter fieri coram Deo in ordine ad obtinendam remissionem peccatorum. Baptismum etiam potest validè conferre Laicus, & Matrimonio assistere, præsertim, quòd non acceptent Concilium Tridentinum; quod requirit ad Matrimonium assistentiam proprii Parochi.

§ XXXVIII.

Hæc est via illa, à qua nec stulti aberrare possunt. *

Soli Deo gloria.

* Via nusquam in Scriptura fundata; quippe quam sequentes, in stultitia perseverant & obdurescunt 2. Timot. 3. v. 13. 2. Joan: v. 9. Via Ethnica, *obsequii rationis*, opposita Christianæ viæ *obsequii fidei* Rom: 1. 5. 16. 26. multo pejor, quàm Judaica: Quoniam hæc adstricta erat legi & Verbo Dei; ista verò adversus DEI Verbum, authoritatem humanam pro norma agnoscit, æquè, ac Pharisæorum Hæresis. Matth. 15. v. 3. 6. Marc. 7 v. 7. 8. 9. 18 hac de causa maximè invisa Domino.

Retorquet argumentum Menonista: Via non adstricta Verbo Dei, est via Ethnica. *Sed* Protestantium est via non adstricta Verbo Dei: nimirum; quod docet non jurandum &c. Ergo via Protestantium est via Ethnica.

R. Hæc Censura non meretur responsionem: cùm sit petitio principii; & toties demonstravi supra, doctrinas Ecclesiæ Catholicæ non esse purè humanas, sed infundatas Scripturæ Sacræ & assistentiæ Spiritûs Sancti, non obstante, quòd summi Pontifices Ecclesiæ Catholicæ, sint homines: Quia & Apostoli non erant Dii; adeoq; hæc censura, & textus citati, nihil contra nos faciunt. Objiciunt nobis frequenter Dissidentes; quòd ideo prohibeamus populo lectionem Bibliorum; ne ex illis advertant falsitatem doctrinæ Catholicæ oppositæ Scripturis. Sed miror talia posse objici à prudente homine. Si id intenderet Ecclesia; potiùs hanc lectionem prohiberet Viris doctis; qui meliùs & Scripturas intelligere, & errores advertere possent; quàm tamen iis non prohibet. Prohibemus autem illam rudibus, qui propter suam inscitiam, pro salutari cibo venenum hauriunt, & ne Sutores, ut Georgius Fox author Quakierorum, & Mulieres, ut v. g. in Anglia Euchera & Anna Ascua; & alibi, alii Artifices, se Magistros fidei faciant. Nisi Dissidentes recurrerint ad authoritatem Ecclesiæ, nescio quid respondebũt Menonistis. Ad quam si non recurrerint, quidquid illis responderint aliunde, Menonistæ restaurabunt argumentum.

Vale mi Censor. Annos æternos in mente habe: Depone perspicilia, quæ tibi imposuit respectus terrenorum; & meliùs videbis, visurus etiam Deum Deorum in Sion.





